

1557

Anna Momorantius ad Sancti Quintini oppidum cū Gallis proficiscitur. Galli ab Hispanis prostigati, & Sancti Quintini oppidum a Philippo Rege captum.

Henricus Rex Guisii ex Italia revocat.

Franciscus Valerianus a Philippo Rege Venetias missus ad partem victoriam enuntians.

Triultius Cardinalis, apud Venetos legatus, res pontificias Venetis commendat.

qui ad Divi Quintini oppidum (Augustam Veromanduorum dictum antiquitus volunt) ad Sommam amnem situm , profectus , oppugnaturus castra locat . Anna Momorantius equitum magister Henrici jussu eo statim cum trigintaduobus Germanorum , duobus ac viginti Gallorum peditum signis , quatuor equitum millibus , tormentis majoribus quatuordecim contendit , levibus praeliis hostem distinendo , in oppidum commeatus inferre posse ratus . At Philibertus , instructis copiis , amne trajecto , Momorantium aggreditur . Germanici , ac Belgici equitatus impetum cum diu Galli sustinere non possent , primum trepidare , mox distractis ordinibus cædi , fugam capeßere , complures capi , alii abjectis armis se se dedere . Summi nominis viri in hostium potestatem concessere , atque inter hos Anna ipse Momorantius una cum filio captivi ad Philippum nondum ad exercitum profectum perducti sunt ; qui mox , cum se in castra contulisset , vehementius Sancti Quintini oppidum oppugnare , acriter se Gallis tuentibus , cœpit : quod tandem vii. kal. septembris vi captum , ac sævissime direptum est . Admirallus captivus in hostium potestatem pervenit . Ea clade accepta , Gallorum res magno in discrimine versabantur : flore equitatus amisso , insignioribus regni proceribus captis , jam non de bello inferendo , sed de Galliæ finibus tuendis agendum erat . Itaque statim Henricus ex Italia Guisium cum copiis revocare statuit : qua ex re omnia cum Pontificis Maximi tum nepotum consilia disjecta , atque everfa fuere .

Philippus Franciscum Valentianum , Hierosolymitanum equitem , qui partam significet victoriam , ad Senatum mittit . Vargas legatus cum eo Collegium Patrum adiens , posteaquam rem , uti gesta erat , narrasset , subjecit , ob ingentem Regis felicitatem , ac virtutem , Divino aspirante numine , victoriam nil de Regis in pacem publicam studio imminui ; eam si unquam antea , hoc tempore summis votis cupere : prosperos rerum successus ad tria potissimum , pacem ipsam , christianæ reipublicæ incrementum , & Venetorum commodum conferre , sibi in animum induxisse . Ea omnia Pontifici , quo facilius ad concordiam flecteretur , per Naugerium Senatus jussu significantur . Eodem tempore Triultius Cardinalis , quantis